

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0664

0662

0668

0658

0673

0653

0713

0613

0763

0563


0163

Ende

Anfang

91

caussa dicitur Jerusalem Visio pacis. Ab alia ergo parte montis Oliveti descendimus per viam descriptam fol. 152 B. et transito torrente Cedron in montem Syon adscendimus et cum gaudio suscepti a fratribus et comestione peracta ad quiescendum nos locavimus, quia statim ad alios labores transituri eramus.



**(B)** De tertio ingressu peregrinorum in dominicum sepulchrum, de abusionibus in eo fieri consuetis.

Die qua supra, videlicet XXI., meridie transacta cum advesperasset, vocati sunt peregrini in ecclesiam sancti sepulchri, et cum in atrio essemus, venerunt domini Mauri et eodem modo nos in ecclesiam intromiserunt per omnia, sicut dictum est fol. 108. A. Et ingressi fecimus sicut dictum est ibidem, cum majore tamen studio discurrebant peregrini illi per loca sancta, quae sciebant se amplius non ingressuros, et clenodia sua ad loca sancta applicabant, sicut prius saepe fecerant, eodem modo, quo dictum est fol. 36. B. Cum minori autem serio et majore distractione deduxerunt milites noctem illam, quam duas alias noctes, quibus vigiliis ad sanctum sepulchrum celebraverant. In prima enim nocte occupati erant ad disponendum se ad sacram eucharistiae communionem cum confessionibus, et adhuc magis affecti erant ad loca sancta, ut